

GUILIEL. HIERONYMVS ^{ff}
BRÜCKNER D.

PANDECTARVM PROF. PVBL. ^{1702, 8 a}

CVRIÆ PROVINCIALIS

FACVLT. JVRIDICÆ ET SCABI.

NATVS ASSESSOR

COLLEGII JVRIDICI h. l. DECANVS

DE

ABUSIBVS APPEL-
LATIONVM TOLLENDIS,

ET HAC RATIONE LITIBVS

CITIVS TERMINANDIS,

occasione l. 3. C. de appell.

Quam

Clarissimus summorum in Jure Honorum

CANDIDATVS

DN. CHRISTOPH. FRIDER. KESLER,

Zittaviensis

lectione cursoria d. 14. Aug. MD CC II.

elegit explicandam,

in

PROGRAMMATE INAUGVRALI *tractat.*

7 E N Æ

LITTERIS MULLERIANIS.

GUILIELMUS HIERONYMUS

BRUCKNER D.

PANDACTARVM P. P. D. V. B. L.

CVRIA PROVINCIALIS

FACULT. IURIDICÆ P. B. C. A. B. L.

MAJUS ASSessor

COLLEGIJ IURIDICI P. B. C. A. B. L.

DE

ABUSIBVS APPEL-

LATIONVM TOLLENDIS

ET HAC RATIONE LIBVS

CITIVS TERMINANDIS

et officio C. G. G. G. G.

Classicus in honorem in hoc honorem

CAUSIBVS

DIT CHRISTOPH. FRIDER. KESTER

et officio

PROGRAMMATE IN VENTRALL

LIT. P. M. M. M. M.





On recens est, aut nudius tertius
nata querela, sed jam a multis an-
nis & seculis obtinens, quam liti-
gantes remittunt ob processuum
diuturnitatem, tantos saepe sumtus
totque molestias parientem, ut in
fine litium multi experiantur, au-
reo hamo se fuisse piscatos, nec ip-
si victores de palma tanti pretii sibi
multum gratulentur. Refert summus *Jctus Carpozivius p. I.*
c. 1. d. 1. n. 4. ex Hermanno Vultejo vol. 1. conf. Marp. 17 n. 6 A. die
mortis illius, de cujus hereditate in Camera Imperiali agebatur,
usque ad litem contestationem elapsos esse annos ferme 38. Et
quoniam litem contestatio, postquam opposita & venti-
lata fuerunt exceptiones litem ingressum impediens,
initium saltem facit processum, si merita causae principalis
spectes, quid putabis, quamdiu totus processus, cujus
singula membra non minus litem protrahunt, durare
possit? Causae hujus mali variae recensentur. Nonnulli
in ea haerent opinione, Jus nostrum civile, tot tantisque
legibus refertum, in immensum protrahere lites; fieri
enim non potuisse, ut in tanto legem cumulo non ali-
qua sibi invicem contraria ponerentur, & dum unus has
in suas partes vocat, alter in diversas trahit, & Doctores
pariter atque Judices non unam sententiam ample-
ctun-

Etuntur decisiones causarum suspenderentur. Alii originem mali derivant non a jure civili, sed illius juris interpretibus, qui paratilis non contenti contra prohibitionem Imperatores prolixos commentarios spissaque juris volumina scripserunt, & sic jus nostrum per se planum diversis in medium allatis sententiis, perplexum reddiderunt. Ita enim statuit Justinianus Imperator in l. 1. §. 12. C. de vet. jur. enucl. *Nostram consummationem Digestorum vel pandectarum nomen habere sancimus, nullis juris peritis imposterum audentibus commentarios illi applicare, & verborum suorum supra dicti Codicis compendium confundere, quemadmodum in antiquioribus temporibus factum est, cum per contrarias interpretantium sententias totum jus pene conturbatum est; idem in l. 2. §. 21. C. eod. reperit: Alias legum interpretationes, imo magis perversiones eos jaculare non concedimus: ne verborum eorum aliquid quod legibus nostris adferat ex confusione dedecus, quod & in antiquis Edicti Perpetui commentariis factum est, qui opus moderate confectum hoc atque illic in diversis sententiis producentes in infinitum distraxerunt, ut pene omnem Romanam sanctionem esse confusam (videamus). Alii culpam in Advocatos, quos pestes justitiae, & hircines Reip. vocant, rejiciunt, contententes, brevi temporis spatio terminari lites, si a foro illos exulare jubeamus. Factum enim a partibus proponi posse, & judicem ut injure instruat, opus non habere arbitrantur. Interum alii fontem mali in Judicibus haerere credunt, qui, cum sapius e sportulis vivere debeant omnem operam navent, ut Processus quam diutissime duret, & exinde larga sportularum messis proveniat. Sed recensendis pluribus opinionibus iisque examinandis jam non immorabor; sufficiat meam exponere sententiam, quod potior mali causa in eo resideat, quoniam accurata destituitur ordinatione processuali, omnem fere occasionem protelaudi lites amputante. Affirmare & ad-*

ver-

versus omnes contradicentes probare auiam, in toto terrarum orbe non meliorem extare Ordinationem Processualem, quam in Saxonia nostra, ejusque exemplum fecerit proximis terris, sed illam esse omnibus numeris perfectam, nego per negoque. Et ne id temere facere videar, quatuor saltem adducam rationes (1) Ipse Saxonicorum JCtorum & Practicorum Princeps Carpzovius, cum loco supra citato de diuturnitate processus agit, & inter alia n. 6. dicit: *Mezendus totius Reip. interius, si non in tempore huic morbo occurratur, non tam consilio JCtorum & politicorum, quorum proprium est lites abbreviare, quam auxilio & autoritate magistratus, ejus cura maximopere incumbit, per modum condende legis lites finire, tollere, minuire;* statim addit: **SED OPTANDVM HOC, FORSAN NON SPERANDVM.** Ego autem non despero; forte Sacratissimus noster **LEOPOLDVS MAGNVS** Imperator is erit, qui sicuti Justinianum Imp. in devincendis tot hostibus, & proferendis finibus si non superavit, æquavit tamen, in condenda hac Ordinatione Processuali, & per totum Imperium instar Ordinationis Criminalis Carolinæ introducenda, ad gloriam Justiniani Imp. accedet. (2) Ipsa testatur experientia, quandiu durent processus in Saxonia nostra, ut magnos audiverim JCtos, palam profectos, male se adversariis in causa etiam justissima cedere, & gravi jacturam litem redimere, quam prolixo & sumtuoso processui negotium committere; unde (3) in Saxonia diu multumque deliberatum est, quomodo diuturnitati processus obviam iri possit, & palam constat, nuper admodum Dresdenæ autoritate publica delineatum esse processum, quem descriptum habeo, etiam in finem compositum, ut litium anfractus & ambages præscindantur. Superfedere hæc opera poterunt, si creditum fuisset, non meliores hæc in re ferri posse leges. (4) Imperator Justinianus l. 8. C. de Judic.

civiles causas triennio, criminal s biennio finiri voluit.
Sed memini, in Saxonia aliquoties per decem annos
vix ad litis contestationem devenitum, tantum abest, ut
triennio totus processus terminaretur. Dixit mihi Jctus
hujus loci celeberrimus, cum lite a cive oppidano pul-
saretur, Ego adversarium meum per plures annos fru-
strabor, donec ad litis contestationem veniatur. Reipsa
quoque hoc præstitit, & tantem ille ipse Jctus mortuus
est, antequam in foro Saxonico litem contestaretur.
Omnes in praxi versati fatebuntur, litem intra trien-
nium, si alter protractionem enixe intendat, ad finem
in Saxonia juxta formam Processus hodie extantem deduci
non posse. Sed ego alia occasione demonstrabo, Justiniani
constitutionem, de lite civili per triennium terminan-
da non cerebrinam esse, & in omnibus fere causis, etiam
maximi momenti, optime ad usum transferri posse, &
quamvis modum a Justiniano descriptum non habeamus.
Elegit præsens; quem sistimus, Jurium Candidatus *l. 3. C.
de appellationibus* Lectione Curatoria explicandam; qua
propter differam nunc de Abusibus appellationum tollendis,
& hac ratione litibus abbreviandis; doleo autem,
me aliis negotiis ita esse obrutum, ut vix diem huic elab-
orationi licuerit impendere, ubi tamen materiae dignitas
aliquot dierum curas & operas requirebat. Æqui bonique
consulent benevoli lectores, si, quæ verius effusa
quam exulta & exasciata proferam, expectationi non
respondeant. Sequentes autem notabo circa appellationem
abusus (1) *Carpz. in Proc. Tit. 18. art. 6. n. 96. refert*:
*quod in Senatu Appellationum Dresdensi rarissime Appellanti,
confirmata licet prioris instantie sententia, refuso expensarum
injungatur, ex observantia jam dudum recepta; Licet autem
hanc observantiam rationibus fulcire conetur, longe
tamen debiliores apparent, quam ut aliorum applausum
mereantur; & forte ab illa observantia hodie recessum
est,*

est, cum toties ex Actis deprehenderim, temere appel-
lantes in expensas Dresdæ fuisse condemnatos, in nostra
quoque Curia Provinciali Jenensi usu receptum est, ut
pruritus & temeritas appellandi refusione expensarum
coerceatur. Sic in Recept. imper. de anno 1654. §. 120. con-
stitutum reperitur: Und nachdem im Reich die libido liti-
gandi dermassen bisanhero zugenommen, daß bey den Unter-
richtern fast keine Urtheil gefället, von welcher nicht appelli-
ret werde, so solche auch dargegen, und wieder solche temere
appellirende Theile die angelegte Straffe erhöhet, und nach
Ermäßigung des Richters, solche Parthey von zwey/drey bis
auf zwanzig Markk Goldes nach beschaffenheit des fals und
Umbstand der Sachen oder auch wohl gar an Leibe gestraffet
vornehmlich aber auch der frevelmüthigē advoca-
tus causæ mit gebührender Straffe nach gestalt des Verbre-
chens und Muthwillens, und zwar mehr, als die der Rechten
ohnerfahrne Partheyen, welche oftmahls die Sache nicht ver-
stehen, angesehen werden. *Judicia vero, quæ lucrum e-
sportulis captant, non tam stricte inhærebunt saluberrima
huic legi, tum potius sibi de multitudine appellati-
onum gratulantur, & ob copiam litium cum illo exultant,
qui conspecto actorum cumulo lætus in hæc verba eru-
pit: Hem! quam strenue homines altercaptur!(2) Si Leu-
teratus vel appellatus in primo termino, ad prosecutio-
nem Leuterationis vel justificationem appellationis præ-
fixo, non comparent, in expensas haud condemnantur,
sed saltem injungitur ipsis, ut in alio termino se fiant,
& respondeant* *Carp. Proc. Tit. 17. art. 1. n. 123, & seqq. & Tit.*
18. art. 6. n. 106. Unde fieri solet, ut leuterati vel appellati,
protractionem litis intendentes, regulariter in primo ter-
m no non compareant, adversariis erogationem sumtuum
te nere causantes. Verum, licet sententiam pro se obti-
nerint in priori instantia, illa tamen operari tantum hoc
debuisset, ut, si in meritis causæ per reformatariam contra
se

se pronuntiaretur, refusione expensarum essent immu-
nes, non autem ut impune contumaces forent; quo ipso,
tor leutationibus & appellationibus in una causa saepe
interuenientibus, mirum quantum lites differantur, &
aliquoties factum recordor, ut cum, extranea Jctorum
Collegia, hujus moris Saxonici ignara, contumaces ple-
tere vellent refusione expensarum, hi ob tale gravamen
leutationem interponerent, & sic Leuteratio Leutera-
tionem pareret non sine litigantium dispendio, & causa-
rum protractione (3). Pariter si leuteratus vel appellatus
in primo termino emanent, licet gravamina leuterantis
vel appellantis a iudice deprehendantur non relevantia,
in Foro tamen hactenus apud nos obtinuit, ut non pro-
tinus feratur sententia confirmatoria, sed prius leuterato
vel appellato injungatur responsio. Ast (meo quidem
iudicio) male. Quid enim opus erat responsione illa,
ubi citra illam praevidebatur sententia prior confirmanda?
Potera enim leuteratus vel appellatus pure submittere ad
acta priora, quo in casu vel ideo non debebat leuteranti
aut appellanti ulterior deductio gravaminum concedi,
quoniam illa statim in scedula leutationis vel appel-
lationis aut etiam in termino prosecutionis vel justifica-
tionis potuissent adferri, & negligentiae suae imputare de-
bent, qui hoc facere omiserint. Rationem, cur a more
recepto non recedatur putaverim forsitan illam esse, ne
teneantur iudices, aut horum loco pronuntiantes JCi
tota Acta perlegere, sed ut statim, ubi viderint Leutera-
tum vel appellatum non compartuisse, facili negotio fe-
rant sententiam interlocutoriam, quod contumaces com-
parere & respondere debeant, addita comminatione, alias
in perseverantia contumaciae latum iri sententiam. 4.) Dici
non, potest quandiu, in nostra praesertim Saxonia, tot
instantiae morentur decisionem causarum. In quibusdam
enim regionibus quatuor iudicia, per quae litigantes ad
vitan-

vitandum saltum ire coguntur, deprehendimus con-
futura, & in singulis Judiciis Leutationes admit-
tuntur, & quia in Leutationis vel Appellationis in-
stantiis sæpe non pure confirmantur priores sententiæ,
sed tales reformatoriæ sequuntur, per quas antecedens
aliqua sententia non approbatur, sed potius nova &
diversa ab omnibus prioribus profertur decisio, tunc
leuteranti, si per hanc novam denuo conqueritur se
gravatum, alia ipsi conceditur leuteratio in eodem
judicio, & sic nimium quantum, præsertim in causis
proxioribus, plura capitula continentibus, augen-
tur leutationes, litesque in multos annos prorra-
hantur. Huic malo facile adferri posset medela, si
non plura quam duo Judicia in causis potissimum mi-
noris momenti admitterentur, & si leutationes qui-
dem in his Judiciis liberæ relinquerentur, non tamen
singulis litigantibus plures quam una in quolibet Judi-
cio concederentur, sive novum gravamen, hætenus
nondum in medium allatum, per ultimam sententiam
inferatur, sive minus. Nec valet objectio, quod per
tot instantiam melius causæ ventilantur, & instar fru-
menti purius cribrantur. Sicut enim frumentum tam-
diu ventilari & cribrari potest, ut nihil vel parum am-
plius reliquum maneat, ita, per tot instantias tanti
sæpe sunt sumtus, ut hi, compensatis invicem expen-
sis, excedant ipsos victoriæ fructus, quod lugubre &
perabsurdum est. Quare de abrogando Judicio Rott-
villensi, cujus Jurisdictio per varias circumjacentes
regiones diffunditur, diu fuit deliberatum. Cum e-
nim ab hoc ad duo suprema Imperii Tribunalia appel-
lare liceat, malitiosi litigantes ad moras necendas
illo

illo plerumque abutuntur, appellatio omnibus ab inferioribus
Judicibus ad illud interpositis, ubi tamen citra illud
recta via potuisset iri ad Summa illa Imperii Dicasteria,
& causæ plenius ibidem agitari. Nec (5) satis est, tot
Judicia & instantias reperiri, quibus miseri sæpius ad
incitas rediguntur, etiam saluberrima Justiniani Imp.
constitutio in *l. unic. C. ne liceat in un. ead. caus.* qua post
tres conformes sententias latis non admittitur ulterior
provocatio vel appellatio non tantum in Saxonia, ubi
ob nimium instantiarum numerum vel maxime obser-
vari merebatur, in desuetudinem venit, vide *Carpz.
Proc. tit. 17. art. 2. n. 9.* testantem, post sex etiam con-
formes sententias ad *supremum Tribunal Dresdense* pro-
vocari, sed etiam per totum fere Imperium exolevit,
ut non attenda trium, conformium sententiarum ex-
ceptione, appellatio nihilominus in Camera recipi-
tur. *Myning. cent. 2. observ. 15.* qui hanc rationem adfert
*quia possit quisque inferiorum Ducum et principum in
prejudicium Imperii in suo Ducatu plures facere instan-
tias, et ita juris dictionem supremi Tribunalis eludere;*
Enimvero, si sanciretur, ut post duas conformes sen-
tentias gravato liceret statim præterita intermedia in-
stantia ad Camera vel Judicium Caesaris Aulicum ap-
pellare, aut si mallet gravatus in tertia instantia Sta-
tuum Imperii causam ventilare, post tertiam non ad-
mitteretur appellatio ad Summa Imperii Judicia, non
video, cur non optimo Jure Justiniani Constitutioni
inhæreere possemus? (6) Communiter statuant Do-
ctores, quod de Jure Civili a sententia saltem definiti-
va recipiatur appellatio *l. 2. C. de Episcop. Aud. de Ju-
re autem Canonico ab interlocutoria appellare. intell-*
o
a
grum

grum fit c. 12. 147. §. 60. *de appellat.* Alii distinguunt,
num interlocutoria damnum irreparabile inferat,
an non, in illo casu admittendam putant appellatio-
tionem, in hoc neutiquam. Hoc autem ipsum po-
num eridos est, de quo saepe multum controvertitur,
an hæc vel illa interlocutoria damnum notabile infe-
rat. Optimum igitur meo iudicio foret, si contra
interlocutoriam gravato unum solum, vel pro rati-
onē circumstantiarum alterum etiam concederetur re-
medium, idque vel devolutivum per modum appel-
lationis, vel suspensivum tantum per modum lente-
rationis, & gravato libertas eligendi alterutrum relin-
queretur. In Saxonia nostra multisque aliis Germaniæ
nostræ regionibus non tantum ab interlocutoria, sed
& (7) a quolibet gravamine appellare licet, quo au-
xilio pessime Advocati abutuntur; statim enim atque
iudex inferior morem ipsis gerere non vult, ce. in
concedenda tertia quarta dilatione, appellant ad supe-
riorem, & hac ratione Iudices inferiores, præferunt
illi, qui in Jure & praxi non adeo sunt versati, ad su-
tum Advocatorum vivere debent, nisi manus sibi per
appellationes velint constringi; omnes autem facile
intelligunt, quantum remoram hæc res negotiis ex-
pediendis injiciat. Rectissime igitur constitueretur, ut
non prius quam lata fuisset sententia, appellare lice-
ret, & postea gravamen illud prætenfum deduceretur
(8). In possessorio summarissimo non est conceden-
da appellatio, nisi sententia feratur inaudita altera
parte; in ordinario autem possessorio non debent
appellationes & remedia suspensive admitti, quot in
petitorio, quia hoc majus adfert præjudicium quam
illud,

illud, & damnum illius facilius per petitorium reparari potest. (9) In multis locis est introductum, ut in casum succumbentia: certa pecunia: summa sit deponenda, quod onus a primo remedio suspensivo; five hoc leuteratio five appellatio foret, merito exulare deberet. (10) Ubi non ab omnibus sententiis definitivis appellatio permittitur, sed summa certa appellabilis requiritur, ad minimum remedio suspensivo aliquid gravati gaudere deberent, si hastenus quodam nondum fuerunt usi, ut in loco, ubi sententia prior lata est, denuo causa incuti subjiceretur, & posterior per transmissionem actorum ab Extraneo Juris Collegio ferretur. (11) In quibusdam Judiciis consuetudo viget, ut Appellatione interposita describantur Acta & descripta mittantur ad superiorem; quod ipsum non sine magnis sumptibus appellantium & protractione litis fieri potest, cum tamen justitiae administratio non tanto pretio sit emenda. (12) In locis, ubi Leuteratio simile quid non obtinet, sed Appellatio introducta est, deberet gravatis liberum reliqui, utrum in loco, ubi prior sententia gravans lata est, adhibitis Commissariis velint denuo causam tractare, & appellationi futuræ renunciare, an coram superiore causam deducere. Nam primus modus appellantiibus sæpe commodior est, dum non novi Advocati sunt assumendi & instruendi, & præsentis urgere melius negotium possunt. (13) Non admittenda esset appellatio, nisi in medium allatis; & Judici a quo expositis gravaminibus, ut ex illis cognosceretur, utrum frivole an justa de causa fuisse appellatum. (14) Clausula illa, ab appellantiibus usurpari solita: *Non deducta deducam,*

cam. non probata probabo, nititur quidem *l. 4. C. de tempo-
por. appellat.* sed multa parit incommoda, & rectius
in multis Judiciis prohibitum est, novas alligare in ap-
pellationis instanria exceptiones, novasque adferre pro-
bationes. Exceptiones enim dilatoriæ ante litis con-
testationem sunt urgendæ, & peremptoriæ statim sub-
nectendæ litis contestationi, terminus quoque proba-
torius fatalis est, & sic, quod in prima instantia ratio-
ne horum punctorum neglectum, in altera per appel-
lationem reparari nequit (15) Justinianus Imp. in *l. 4. §.
4. C. de tempor. Appell.* salutariter constituit, ut intra an-
num appellatio interposita terminaretur, & si grave
impedimentum inciderit, adhuc annus concederetur;
Iapso autem biennio, & nondum secuta sententia,
appellans causa caderet, si per ipsum stetit, quo mi-
nus sententia ferretur. Nihil facilius mihi videtur,
& nihil magis optandum, quam ut hæc lex effectum
fortiatur; verum ad exemplum supremorum Imperii
Tribunalium, ubi causæ appellationum diu pendent,
in Dicasteriis inferioribus non observatur. Olim mi-
serissima facies Justitiæ in Camera Imperiali erat, cum
Revisionis beneficium adhuc effectum suspensivum ha-
beret; quia enim raro in camera Revisiones institue-
bantur, lites ibidem agitatae sæpe fiebant immortales;
cui malo postea optimum remedium est allatum, post-
quam Revisioni non amplius vis suspensiva sed tantum
devolutiva tribui cœpit. Tempore interclusus pedem
hic figere cogor; & quoniam video a *Klockio in Tractat.
de Arario lib. 2. cap. 23.* citari *Petr. Brederodium*, qui *p. 1.
de appellat. tit. 3.* exposueri remedia abusum appella-
tionis tollendi, pariter *Dn. Ludolphum Hugonem in Con-
sult.*

fuit de Abusu Appellationum tollendo, qui duo autores
mihi non fuerunt ad manus, cum hæc scriberem, Le-
ctorem ad illos remitto, ubi forte plura huc facientia
inveniet. Nunc restant quædam dicenda de Clarissi-
mo Candidato nostro.

**DN. CHRISTOPHORO FRIDE-
RICO KESLERO;**

Natus is est in urbe celeberrima Zittaviensi Anno
M DC LXXI. Mense Maio, Parentibus optimis, ad-
huc viventibus, Patre Dn. CHRISTIANO KESLERO,
Cive & Mercatore dictæ urbis, & Matre ANNA MA-
RIA, e familia LOESNERIANA originem ducente.
Potior parentum cura fuit, ut Filius ad Pietatem mo-
rumque elegantiam vitam componeret, & quoniam
probe noverant, a teneris adulescere multum esse, non
tantum infanti & puero adhuc instillarunt fundamen-
ta Christianæ religionis, sed & exemplum, quod stre-
nue sequeretur, præbuerunt; deinde literis quoque
excolere ingenium filii studuerunt, assumtis privatis
præceptoribus, in quibus alendis sat liberales se præ-
stitere. Admissus ad Nobile patrium Gymnasium u-
sus est informatione Viri jam dudum scriptis elegan-
tissimis inclyti, Rectoris Dni. CHRISTIANI WEISII,
& Clarissimi Correctoris Dn. *M. Adami Erdmanni Mi-
ri*, quorum fidem & dexteritatem grato agnoscit ani-
mo. Dignus jam studiis Academicis Anno M DC
XCI. d. XVI. Sept. nostram adiit Salanam Rectore
Magnifico, B. Dn. D. *VELTHEMO*, SS. Theol. Profes-
fore

fore celeberrimo in numerum Studioforum receptus.
Primum hic audiuit B. Dn. D. HARTVNGIVM, Me-
taphysica præcepta tradentem, deinde consultissimum
Dn. D. FLOERKIVM Institutiones Juris & Syntagma
Juris Civilis Struvianum explicantem, postea B. Dn. D.
SCHVBARTVM Notitiam Imperii Bœclerianam ex-
ponentem; porro Illustrem Consiliarium Saxo-Ifena-
censem Intimum & Antecessorem Dn. WILDV O-
GELIVM, Syntagma Juris Civilis Struvianum & Des-
feliæ Erotemata Juris Canonici illustrantem, nec pa-
rum sibi gratulatur de Perillustri Consiliari Saxo-Vi-
nariensis Intimi, LIB. BARONIS de LYNKER Collegio
ad Jurisprudentiam Struvianam habito. Felicem etiam
se predicat, quod laudato Dn. WILDVOGELIO
non tantum in hospitium & convictum receptus, sed
& tot aliis beneficiis cumulatus fuerit, ut perpetuo
agnoscat se obstructum. In Theoria Juris positus fun-
damentis ad praxin progressurus ab inclyta Facultate
Juridica Lipsiensi, ut fert consuetudo Electoratus Sa-
xonici, impetravit, ut exploraret studiorum profes-
sus; & cum illa idoneum eum Foro judicaret, præ-
finito juramento a Suprema Electorali Curia accepit fa-
cultatem, causas clientum in foro tractandi. Anno
MDCXCVII. in præfecturis Elector. Sax. Francken-
berg & Saxenburg officium Actuarii suscepit, quo mu-
nere per annum functus est. Postea in numerum Ad-
vocatorum ordinariorum Lusatiæ superioris assumtus.
Tandem svasu Patronorum Jenam nostram reversus
ad summos adspiravit in Jure Honores. Exposito Fa-
cultati nostræ desiderio subjecimus ipsum consuetis
Examinibus & talia studia ejus invenimus, ut ad spe-
cimina

cimina Inauguralia censuerimus admittendum. Pri-
 mum igitur edet crastina lectione cursoria ad *l. 3 C.*
de Appell. Cui actui, ut Magnificus Dominus Rector,
 Magnificus Dominus designatus Pro-Rector, Domini
 Professores, Doctores, Magistri & Jurium studiosi No-
 bilissimi praesentiam suam largiri velint, ea,
 qua par est, observantia rogantur. P.P.
 Jenae d. XIX. Aug. MDCCII.

GELM, Spang...
 sibi For...
 in sibi...
 r...
 ad...
 iam...
 non...
 o...
 s...
 d...
 J...
 n...
 d...
 s...
 A...
 p...
 n...
 y...
 f...
 ad...
 c...
 E...




Jena, Diss., 1702

VD -18



f

sb.





ERONYMVS ff 9

VER D.

PROF. PVBL.

NCIALIS

ET SCABI.

SSOR

L. DECANVS

120278 a

A
LA

APPEL

LLENDIS,

LITIBVS

NDIS,

appell.

Cl

DN, C

Honorum

. KESLER,

II.

PROGR

LI tractat.

Farbkarte #13

Centimetres